



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

6 Iuramentum pluribus etiam de causis illicitum efficitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

elect. Sextò, pro fide, pro obedientia, & pro unitate, sicut juraverunt viri Galilæi ad Ieptre. *Iud. cap. 11. & cap. significasti §. a-junt. vers. hoc, nimirum. de elect.* Septimò, pro consuetudine Ecclesiæ servanda, pro qua canonici cathedralium juramentum præstant, & filij Israel data lege juraverunt se domino servituros, *Exod. cap. 24.* Octavò, pro calumnia evitanda, ut, quando præstatur juramentum de calumnia, quod præstari potest in qualibet parte litis, tam ante, quam post litis contestationem, *c. 1. de jur. calum. 6.* Nonò, pro infamia tollenda, quæ juramento, & testibus purgatur, ut extr. *de Purg. canon. per tot.* unde versus, Pax, & fama, fides, reverentia, cautio damni, Defectus veri, sibi poscunt magna cavere, *gloss. in cap. significasti. in verb. pro unitate. de elect. in cap. nullus, de jur. jur. & Graff. decis. aur. cap. 15. numer. 5. par. 1. lib. 2. 8*

6 Illicitum ¶ juramentum pluribus modis dicitur, primò, ex persona jurantis, ut sunt impuberes, quorum juramenta non tenent, *cap. pueri, & cap. honestum. 2. 2. quest. 5. & l. qui jurasse, ff. de jur. jur.* Secundò, est illicitum ex persona, cui juratur, ut cum clericus in manibus laici jurat, quod non licet, *cap. nullus, 2. 2. quest. 5.* Tertio, ex causa turpi obligatoria ad hoc impellente, ut quando Herodes filix saltatrici juravit licet tolerabilius fuisset, promissum non facere, quam facere, quod turpe fuit, *cap. unusquisque. 2. 2. quest. 4. & c. innocens, §. unde vers. est enim, 2. 2. ead. quest. 4.* Quartò, ex modo est illicitum, ut quando temerè, vel indiscretè, aut sine necessitate juratur, ut fecit Ieptre, qui cum indiscretè jurasset, se immolaturum, quod ei victori redeunti de prælio primitus occurrisset, fili-

am unicam, quæ ei primò præ gaudio illius victoriosi adventus occurrit, occidit, *Iud. dicto. c. 11. in fin. c. si non licet, §. sed his exceptis, 2. 3. quest. 5. dicto cap. unusquisque, & cap. ita ergo, ead. 2. 2. quest. 1.* Quintò, est illicitum ex tempore, ut si dominicis, vel aliis festis, & prohibitis diebus juretur, *us c. decrevit, ead. 2. 2. qu. 5.*

7 Irritatur ¶ juramentum à pluribus, Primò, à Papa, cujus auctoritate penitus illicita juramenta irritantur. *cap. auctoritatem, 1. 5. quest. 6.* & subditos excommunicatorum excommunicationem continentium, à juramento fidelitatis absolvit, ut subditos magnorum Principum, contra quos ad aliam executionem deveniri non potest, per tex. *in cap. nos, ead. quest. 6.* & solus Papa à juramento quoque licito absolvere potest *c. alius, ead. qu. 6.*

8 Secundò, ¶ juramenta servorum possunt à dominis irritari, argum. *cap. si servus sciens, 5. 4. dist.*

9 Tertio, ¶ juramentum uxoris, quia sui juris non est, à marito irritari potest, *cap. manifestum, 3. 3. quest. 5.* licet propriè jus irritavit horum juramentum, non ipsi irritant domini, aut viri, dum dicimus dominos posse irritare juramentum suorum servorum, & mariti suarum mulierum.

10 Quarto, ¶ juramentum monachi à suo Abbate, *cap. monacho, 2. 0. qu. 4.*

11 Quintò irritari potest ¶ juramentum ab Episcopo, qui, quotiescunque ex parte recipientis juramentum habet iniquitatem, absolvere potest, *c. si vero, & c. verum, de jurejur. & Graff. decis. aur. cap. 18. numer. 33. par. 1. lib. 2.* & à simplici juramento ante incursum perjurii in pluribus casibus Episcopus absolvere potest, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, *cap.*